



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

De gloria cœlestis patriæ, 36

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)



7. Spes humani generis Christe, Deus de Deo, refugium nostrum, & virtus, cujus lumen à longe inter caliginosas nebulas super maris procellas, quasi stellæ maris radius oculos nostros irradiat, ut dirigamur ad te portum: Guberna Domine navem nostram tua dextra clavo crucis tuæ, ne pereamus in fluctibus ne nos demergat tempestas aquæ, ne absorbeat nos profundum: sed unco crucis retrahe nos ab hoc pelago, ad te solamen unicum nostrum, quem à longe, quasi stellam matutinam & Solem justitiæ, vix lachrymantibus oculis in litore cælestis patriæ nos exspectantem videmus.

8. En ad te clamamus redempti tui; sed & nunc exules tui, quos precioso sanguine redemisti. Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, & in mari longe. In mari turbulento versamur. Tu in litore stans, aspicias pericula nostra: salvos nos fac propter nomen tuum. Da nobis Domine inter scyllam & charybdin ita tendere & tenere medium, ut utroque periculo evitato, salva nave & mercibus, securi perveniamus ad portum.

### C A P V T XXXVI.

#### *De gloria cælestis patriæ.*

1. **C**Vm ergo pervenerimus ad te sapientiæ fontem, ad te lumen indeficiens, ad te lucem inextinguibilem: ut te non jam per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem videamus; tunc satiabitur in bonis desiderium nostrum: quia nihil erit exterius quod



quod desideretur, nisi tu Domine summum bonum; qui eris præmium beatorum, & diadema decoris eorum, & lætitia sempiterna super capita eorum; pacificans eos intus & extra, in pace tua, quæ exsuperat omnem sensum. Ibi videbimus, amabimus; & laudabimus. Videbimus in lumine tuo lumen tuum, quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Quale autem lumen? Lumen immensum, lumen incorporeum, incorruptibile, incomprehensibile: lumen indeficiens, lumen inextinguibile, lumen inaccessibile, lumen increatum, lumen veridicum, lumen divinum; quod illuminat oculos Angelorum; quod lætificat juventutem Sanctorum; quod est lumen luminum, & fons vitæ; quod es tu, Domine Deus meus.

2. Tu es quippe lumen, in cuius lumine videbimus lumen, te scilicet in te, in splendore vultus tui, quando te videbimus facie ad faciem. Quid est videre facie ad faciem, nisi quod ait Apostolus: Cognoscere sicut & cognitus sum: cognoscere veritatem tuam, & gloriam tuam? Hoc est cognoscere faciem tuam, cognoscere Patris potentiam, Filii sapientiam, Spiritus sancti clementiam, ipsius summæ Trinitatis unam & individuam essentiam. Videre enim faciem Dei vivi, hoc est summum bonum, gaudium Angelorum atque omnium Sanctorum, præmium vitæ æternæ, gloria spirituum, lætitia sempiterna, corona decoris, bravium fœlicitatis, requies opulenta, pulchritudo pacis, intimum,



mum, & externum gaudium, paradifus Dei: Hierufalem cœleftis, vita beata, plenitudo beatitudinis, gaudium æternitatis, pax Dei, quæ exfuperat omnem fenfum.

3. Hæc eft plena beatitudo, & tota glorificatio hominis, videre faciem Dei fui, videre eum, qui fecit cœlum & terram, videre eum, qui fecit eum, qui falvavit eum, & qui glorificavit eum. Videbit eum cognofcendo, amabit diligendo, laudabit poffidendo. Ipfe enim erit hæreditas populi fui, populi Sanctorum, populi quem redemit. Ipfe poffeffio fœlicitatis eorum, ipfe præmium & merces expectationis. Ero, inquit, merces tua magna nimis, magnum enim magna decent. Vere, Domine Deus meus, magnus es tu nimis fuper omnes Deos, & merces tua magna nimis. Neque enim magnus es tu, & parva merces tua: fed ut magnus es tu, ita magna merces tua: quoniam non aliud es tu, & aliud merces tua. Sed tu ipfe magnus nimis: tu ipfe merces magna nimis: tu ipfe coronator es, & corona: tu ipfe promiffor es & promiffio. Tu remunerator & munus; tu præmiator & præmium fœlicitatis æternæ.

4. Tu ergo coronator es & corona, Deus meus, & diadema fpei meæ, quæ ornata eft gloria: lumen latificans, lux renovans, decor adornans: fpes mea magna, defiderium cordis Sanctorum, & defideratus eorum. Vifio ergo tua tota merces eft, totum præmium, & totum gaudium, quod expectamus. Hæc eft enim vita æterna, hæc eft, inquam,  
fapien-



sapientia tua. Hæc est vita æterna, ut cognoscamus te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Cum igitur videbimus te solum Deum, Deum verum, Deum vivum, omnipotentem, simplicem, invisibilem, incircumscripibilem, incomprehensibilem: & Filium tuum unigenitum, consubstantialem, & coæternum tibi, Dominum nostrum Iesum Christum, quem pro salute nostra misisti in mundum in virtute Spiritus sancti, trinum in personis, & unum in essentia, Deum sanctum solum, extra quem non est Deus; tunc habebimus quod nunc quærimus, vitam æternam, gloriam sempiternam, quam præparasti diligentibus te, quam abscondisti timentibus te, quam daturus es quærentibus faciem tuam semper.

5. Et tu Domine Deus meus, formator meus ex utero matris meæ, quæ me commendavit manui tuæ, non me permittas amplius ex uno distrahi in multa: sed collige me de exterioribus ad me, de me ad te; ut dicat tibi semper cor meum, Exquisivit te facies mea; faciem tuam Domine requiram, faciem Domini virtutum, in qua sola consistit tota gloria sempiterna beatorum. Quam quidem videre, vita æterna est, & gloria sempiterna Sanctorum. Latetur ergo cor meum, ut timeat nomen tuum. Latetur cor quærentium Dominum, sed multo magis cor invenientium. Si enim lætitia est in quærendo, qualis lætitia erit in inveniendo? Quæram ergo semper ardentem & indefinenter faciem tuam, si quando tandem



aperiatur mihi ostium & porta justitiæ, ut intrem in gaudium Domini mei. Hæc porta Domini; iusti ingredientur per eam.

## C A P V T XXXVII.

*Oratio ad sanctam Trinitatem.*

1. **O** Tres coæquales & coæternæ personæ, Deus unus & verus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; qui solus habitas æternitatem, & lucem inaccessibilem. Qui fundasti terram in potentia tua, & regis orbem terræ prudentia tua. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sebaoth. Terribilis & fortis, iustus & misericors, admirabilis, laudabilis, amabilis, Unus Deus, Tres personæ; una essentia, potentia, sapientia, bonitas, una & indivisa Trinitas. Aperi mihi clamanti portas justitiæ; & ingressus in eas, confitebor tibi Domine.

2. En ad ostium tuum, summe paterfamilias, mendicus pulso. Iube aperiri pulsanti, qui dixisti: Pulsate, & aperietur. Pulsant enim ad ostium tuum, Pater misericordissime, desideria rugientium præcordiorum meorum, & clamores lachrymarum oculorum meorum. Ante te est omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Et tu Domine non avertas faciem tuam amplius à me, nec declines in ira à servo tuo. Pater misericordiarum, audi ejulatum pupilli tui, & porrige manum tuam optimam adjutricem; ut retrahat me de profundis aquarum & de lacu miseriæ, & de luto facis, ne peream vidente misericordia  
ocu-